

Vg  
1215

S  
TIA  
iD  
de  
u

7sq  
Do



Qrk. 214.

Qrk. 214. 23

Vg  
1215

**SENTENTIA REVERENDI VI-**  
**ri D. M. Luth. Sanctæ memoriæ**  
**de Adiaphoris ex scriptis illi-**  
**us collecta per M. Ioachi-**  
**mum Vestpha-**  
**lum, Pasto-**  
**rem in Ecclesia Hambur.**

3. Regum. 18.

Uſq; quo claudicatis in duas partes? Si  
Dominus est Deus, sequimini eum,  
Si autem Baal, sequimini  
illum.

1 5 4 9.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to include words like "VALLI", "REVERENDI", "de", "collegia", "Vallibus", "Pallas", and "in Ecclesia".

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to include words like "a Regum", "in", "Comitibus", "Basilica", and "hinc".

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to include words like "Basilica", "hinc", and "in".



PIO LECTORI GRA-  
tiam & pacem per Chri-  
stum.



Extant multa præcla-  
ra monimenta San-  
ctæ memoriæ uiri  
D. Martini Lutheri,  
quib⁹ ille euerso An-  
tichristi regno, resti-  
tuit regnum Christi,  
& Ecclesia ab impijs  
cultibus & superstitiosis cæremonijs  
repurgata, purum Dei cultum & cære-  
monias, cum ad eutaxian, tum ad pie-  
tatem utiles instaurauit. Quod si diuini  
illis laboribus recte uti sciremus,  
essent nobis illius scripta tanquam pa-  
noplia & armamentarium quoddam,  
unde nobis uictoria sumeremus arma,  
quibus reliquias Antichristi conficere-  
mus, nec quicquam nobis foret pericu-  
li, ne monstra papatus fortiter debella-  
ta maioribus uiribus in nos resurge-  
rent, neq; nobis negotium aut molesti-  
as facefferent.

Iam uere competit in multos, quod

A 2

ille

ille in historia de pænorum duce dixit,  
Nescire eum uti uictoria, qui impediti  
partim ignauia, partim stulta sapien-  
tiæ persuasione non sciunt uti paratis  
alieno labore præsidijs. Diligenter qui-  
dem uiri industrij ueritatis inquirendæ  
& obtinendæ cupidi euoluunt sanctas  
Lutheri lucrubrationes, apud alios ne-  
glectæ iacent & squalent situ.

Huius suæ ignauia & ingrati-  
tudinis iustas dant pœnas, cum in his dis-  
ceptationibus de ritibus papisticis, de-  
nuo administrandis ancipites huc illuc  
distrahuntur, & plæriq; ad abiectas su-  
perstitiones redeunt, persuasi & seducti  
per quosdam insignes sycophantes, qui  
sibi habent studio, ac laudi ducunt,  
non tantum ignauis & oscitantibus,  
sed etiam uigilantibus illudere.

Isti seductores quærunt suis syco-  
phantijs prætextum, & patrocinium,  
etiam mortuos aduocant, magna pe-  
rulantia ac perfidia sententias distra-  
ctas, & mutilatas ex eorum proferunt  
libris, in uanitatis suæ testimonium,  
idq; faciunt tam confidenter, quasi ip-  
sis solis librorum Lutheri hæreditas,  
& pos-

& possessio relicta sit, suaq; mendacia  
tam uoce quam scriptis promant apud  
eos, qui in remotissimis insulis dissi-  
nunquam uiderunt uel syllabam de  
scriptis Lutheri, adeo petulanter & im-  
pudenter adstruunt, reperiri in illius  
scriptis, quæ faciant pro ipsorum sen-  
tentia, consilijs & conatibus nocentissi-  
mis, quibus prostratum regnum Anti-  
christi pro uirili erigunt & restituunt  
in integrum.

Prædicant nunc demum aurea re-  
dire sæcula, Nunc demum præ gaudio  
reflorescere posse senectam Lutheri, si  
uiueret, eaq; uideret & audiret, quæ  
nunc pios ad mortem usq; ingenti do-  
lore excruciant. Non pudet eos adfir-  
mare, si nunc ille superstes sit, gratissi-  
mo animo ambab<sup>9</sup> manibus amplex-  
urum, quod potentes in suis fucatis  
Conciliationibus largiuntur. Imo ui-  
dolisq; extorquent, non moturum fu-  
isse ullam disputationem, sed facillime  
ea concessurum, in quibus nunc homi-  
nes duri tam difficiles se præbent & per-  
tinaciter resistunt.

Cum itaq; isti sycophantæ sic in-  
sultent

sultent Deo & hominibus, nec paucos  
suis mendacijs circumuentos demen-  
tent, sumpsi mihi hoc laboris, ut illius  
uiri, de Cæremonijs uel tolerandis uel  
reijciendis sententiam in medium ad-  
ferrem. Euolui partem aliquam li-  
brorum eius, nam omnes euoluere &  
undiq; colligere omnia ad hanc con-  
trouersiam pertinentia neutiquam ua-  
cabat, publico ministerio quotidie ali-  
as fatis occupato.

Ac sane si uacasset, ex singulis par-  
tib<sup>9</sup> excerpere obuia, tamen nihil opus  
erat colligere, aut collecta omnia edere.  
Nam hæc collectanea pauca euidenter  
uanitatem & perfidiam sycophanta-  
rum redarguunt. Et abunde testantur,  
quid senserit uir eximius, diuinitus ad  
extirpandum papatum natus, quid  
consilij ambigentibus in hac de Adia-  
phoris disputatione fuisset daturus,  
quid quibusq; conditionibus conces-  
surus, quid item denegaturus postu-  
lantibus Cæremoniarum restitutio-  
nem.

Addit ille multas condiciones de  
usitatis Cæremonijs uel abrogandis uel  
retinen-



retinendis & usurpandis. Cauet ne cuiusquam fides lædatur, neue in charitatem peccetur, ne turbentur cōscientiæ, ne quis legem faciat ex libertate, ut a pessimis additamentis repurgentur uitiata sacra. Expresse cauet de seruitute, ne fideles seruiant, sed dominantur traditionibus. Posuit præterea in cautionibus, ne impijs blandiamur, non conuiueamus, nulli faueamus, aut cedamus, qui contra Euangelium Christi quicquam molitur. Non adtempere mus uerbum Dei ad hominum adfectus. Sathanæ errores & instituta conuellamus & euertamus. Negat quendam sine nefario scelere tacere posse, cum aduersarij suis traditionibus doctrinam Christi obscurant.

Si his conditionibus nunc staretur, nullus disputationi & dissensionis relinqueretur locus, nihil esset periculi, non noua orirentur schismata. Quotus quisque uero non impingit in has leges: certe in præscribendis, recipiendis, & administrandis ritibus nulla, uel minima iam habetur ratio scandali & conscientiarum, læditur fides in multis, pec-

tis, peccatur in charitatem. Ex libertate  
fiunt leges & misera seruitus. Summi,  
infimi cedunt & obsequuntur hostium  
libidini, qui nihil non pro Antichristo  
contra Christum moluntur. Obtulit  
se Lutherus aliquoties ad subiectio-  
nem in cæremonijs, sed ubiq; additis  
diserte conditionibus, si hoc obtinea-  
tur ab aduersarijs, Quod solus Deus ex  
mera gratia per Christum iustificet, si  
conscientijs suam libertatem relin-  
quant, & permittant cæremonias li-  
bera uoluntate seruare, nec cogant De-  
um lædere.

Has conditiones posuit tanquam  
impossibiles, quæ nullo modo possint  
ab aduersarijs obtineri.

Nam ubiq; fere hæc subiecit uerba.  
Hoc non possumus obtinere, nolunt  
nobis relinquere, quod sola fides in  
Christum iustificet. Hæc prætereunt,  
subtrahunt, & perfide occultant uersu-  
ti cæremoniarum magistri. Hoc so-  
lum oculis & auribus ingerunt, Luthe-  
rum obtulisse se, quod uellet leges pa-  
pæ seruare, & ijsdem cæremonijs uti, &  
id urgent, ut nunc ijsdem cæremonijs  
cum

ate  
ni,  
m  
to  
lit  
o-  
ris  
a-  
ex  
fi  
n-  
li-  
e-  
n  
nt  
a.  
nt  
n  
t,  
-  
-  
-  
g  
s  
n

cum papistis utamur, cum tamen non  
dum obtineamus, quod Lutherus que-  
ritur, se impetrare non potuisse, uide-  
licet Sola in Christum fide nos iustifi-  
cari.

Non obtulit se Lutherus ante ser-  
uaturum papæ leges & cæremonias,  
quam obtinuisset sua postulata, neq̃  
ante nos ijsdem cæremonijs uti possu-  
mus, quam ea impetrauerimus, quæ in  
hanc usq̃ horam nondum obtinem⁹.  
Aduersarij enim nihil minus conce-  
dunt nobis, quam ueram doctrinam  
de fide iustificante, quam potius suis  
decretis damnare pergunt, non relin-  
quunt nobis Christianam libertatem  
in usurpandis cæremonijs, nec ferunt  
a pessimis suis additamentis eas repur-  
gari, si qui aliud diuulgant, experientia  
manifesta mendacij conuincuntur.

Sed hæc prudens lector ipse iudica-  
bis diurna nocturq̃ manu uersaturus  
Sacrosancta Lutheri monimenta, ad  
quæ te remittere uolui, hisce collecta-  
neis & hoc indice adiecto, in quo anno-  
taui, quib⁹ locis Helias ille nostri tem-  
poris pugnavit, & nobis suppeditauit

A 5

arma

arma ad pugnandum contra interi-  
tum, hoc est, papatum. Quem nunc  
noui legis latores noua metamorpho-  
si transformatum, uiolenter & astute  
fatis instaurare, ubi subuersus, & fulci-  
re, ubi ruibundus nutat, moliuntur Le-  
ge, & inuenies neminem copiosius, &  
acrius scripsisse contra interitum,  
quam Spiritus Dei uirtute corro-  
boratus Lutherus fecit, Bene  
uale. Studium nostrum  
boni consule.

Ioachimus Vuestphalus  
Ecclesiae Dei, quae est  
Hamburgi mi-  
nister.

# SENTEN=

TIA REVERENDI VI-

ri D. Lutheri Sanctæ memoriæ

de Adiaphoris ex scriptis illius collecta

per M. Ioachimum V Vestphalum,

Pastorem in Ecclesia Ham-

burgensi.

In Synodo Augustinianorum.



TA MODEREMUR

Ceremonias, tum utendo

tum abrogando, nec ubi

uel fides cuiusquam læda-

tur, uel in charitatem pec-

cetur. Non est enim reg-

num Dei esca & potus, sed

iusticia, pax & gaudium in Spiritu Sancto.

In eadem.

Quia moderari Ceremonias, & ritus om-

nes pro ratione temporum ac personarum ui-

sum est, uolumus, ut superioribus suis pareant

fratres ex charitate, ut sine scandalo priuatim et

publicè agamus. a Et per omnia hoc præstemus

ne blasphemetur bonum nostrum.

In dispu-

Nunc mul-  
torum fi-  
des læde-  
tur.

a  
Id hoc  
tempore  
maxime  
præstan-  
dum erat,  
nam im-  
pij bonū  
nostrum  
blasphe-  
mant.

In disputatione de non uin,  
dicando.

Minimū  
Christi  
uerbum  
ante fera,  
tur totius  
Ecclesiæ  
& omni/  
um homi/  
num or/  
dinatio/  
ni,

Minimum Christi uerbum soluens uniuersis hominum decretis nequicquam est obediens. Plus obedientiæ cuius uerbo Christi, etiam minimo debetur, quam totius Ecclesiæ ordinationi.

In disputatione de Ecclesia.

Ecclesia Dei habet potestatem ordinandi Cæremonias in ferijs, cibis, ieiunijs, precibus, uigilijs, non super alios, sed super seipsam. Sic tamen, ut hæ cæremonie nō pugnent cū articulis fidei aut præceptis operum. Etiam sic, ut sint de possibili, & quod in eius manu est. Etiam sic, ut conscientiam neq; ligent neq; turbent.

Etiam sic, ut temporales non perpetuæ habeantur, quolibet die & casu mutabiles et omitti potentes.

In disputatione Philip. Melantho. De  
usu libertatis in Adiaphoris  
& scandalo.

Vnus ex gradibus est libertatis Christianæ, qui concedit nobis liberum usum Adiaphororum, cibi potus, &c.

Sed tamen prudenter hac libertate utendum est, præsertim in casu scandali; Sed cauendum est, & ex altera parte, ne aliquando,  
& ab

Et abstinentia nostra noceat alijs. Nam inci-  
dunt nonnunquam tempora, cum scandali ui-  
tandi causa hac libertate utendum sit. Quam-  
obrem cautè ac prudenter et utendum est re-  
bus medijs, et abstinendum ne in utramq; partem  
noceant alijs.

Si unquã  
hoc tem-  
pus fuit,  
nunc est.

### In disputatione de potestate Ecclesiastica.

Præcipuus usus et ultimus finis Cæremo-  
niarum esse debet is, quem D. Paulus constituit  
videlicet, ut rectè et ordine gerantur om-  
nia in publico Ecclesiæ cœtu. Non solum au-  
tem tales Cæremoniæ extra casum scandali  
omitti possunt, sed etiam quæ in lege Mosi di-  
uinitus institutæ erant.

Ad ordi-  
nem nihil  
faciunt  
supersti-  
tiosi et in-  
epti ritus,  
qui nunc  
restitu-  
untur.

### In disputatione de iure fæderum & defensione contra iniustam sæuitiam.

Omnes qui habent imperia, suo loco abole-  
re debent impios cultus et prohibere armis in-  
iustam sæuitiam. Ac multis modis impij et sce-  
lerati sunt qui adiuuant sæuitiam, quæ hoc tem-  
pore exercetur in pios. Sæuitur enim in inno-  
centes odio religionis et in supplices.

Quam  
multi nũc  
scelerati.

Ex Epistola D. Lutheri ad D. Vuolff-  
gangum Fabricium capitonem  
ex eremo scripta.

Existimas

<sup>c</sup>  
Ratio  
promouendi E-  
uangelium his  
diebus  
ualde usi-  
tata.

<sup>d</sup>  
Quot er-  
go nunc  
adulan-  
tur & ue-  
ritatem  
abnegant.

<sup>e</sup>  
Amicis  
ad aras  
usq; gra-  
tifican-  
dum.

<sup>f</sup>  
Spiritus  
Sanctus  
non adu-  
latur, sed  
arguit, di-  
cens non  
licet tibi  
habere,  
&c.

Math. 14.

<sup>g</sup>  
Adiapho-  
ristæ ali-  
ter sapi-  
unt.

<sup>c</sup> Existimas Euangelium tunc promoueri,  
si principibus conuiueatur, parcatur, eorum  
facta excusentur & ( ut tua uerba sonant ) ne  
pugnam procaces prouocemus. Hæc tua ratio  
est, quæ iuxta nostram rationem d pulchra adu-  
latio, & ueritatis Christianæ abnegatio est.  
Ego nec inimicis optarim hunc animum proba-  
ri, tantum abest, ut optem hac ratione iuuari  
Euangelium, ut nihil uehementius deprecer.  
Mansuetudinem & Benignitatem exigis, scio,  
sed quid Christiano & adulatori commune?  
Res est aperta & simplicissima Christianis-  
mus, rem sicuti habet, & agnoscit & fa-  
tetur. <sup>e</sup> Malè ualere uolunt & gentiles eos  
amicos, qui uitijs amicorum blandiuntur, &  
ueritas CHRISTI uitijs & impietati simul  
blandiri poterit. <sup>f</sup> Spiritus ueritatis argu-  
it, non blanditur, arguit uero non aliquot  
sed totum mundum. <sup>g</sup> Igitur nos sic sapimus  
omnia prorsus esse reprehendenda, arguen-  
da, confundenda, nihil parcendum, nihil  
conuiuendum, nihil excusandum, ut medio  
stet campo & libera, & pura, & aperta ueri-  
tas. Ad metum tuum uel spem nostram ni-  
hil sequitur, uel non sequitur in factis homi-  
num, nedum in uerbis DEI. Alioqui nihil  
diuinorum præceptorum nos hic metus sinet  
lentare.



lentare. Nos doctrinam pietatis tuebimur,  
quantis uiribus possumus, offendat siue coe-  
lum siue tartarum. Habes itaq; Lutherum,  
sicut semper habuisti obsequentissimum man-  
cipium, si modo pietatis amicus fueris, rursus  
egregium contemptorem, si perrexeris cum tuo  
cardinali ludere in re sacra.

Ex scripto contra falso nomi-  
natum ordinem Episco-  
porum.

Humanæ traditiones nihil aliud sunt,  
quam idolum, atq; adeo idolum turpissimum  
Peor. Nam hæc tollunt Dei legem & addunt  
humana.

Tota scriptura ubiq; scortationem &  
fornicationem uocat eorum insaniam, qui hu-  
manas traditiones sequuntur, Et Deus in om-  
nibus prophetis increpat synagogam, quæ  
relicto DEO uero cum doctrinis hominum  
& magistris humanarum traditionum forni-  
cetur, quicumq; hic, quicumq; inquam po-  
test, hic fortiter irruat, & bullas has idola-  
tricas laceret, comminuat, cremet, extin-  
guat, ac bona conscientia, & fide sua  
fretus abominationes has contra uerbum  
Dei inductas <sup>h</sup> liberrime extirpet, preciosissimus

<sup>h</sup>  
Dura hæc  
sunt: quis  
audire po-  
test?

enim

enim & sanctissimus Dei cultus est, idola de-  
 moliri et euertere atq; conterere frustillatim, id  
 quod Moyses in deuteronomio tam crebro præ-  
 cipit, omnes astricti sunt sub pena indignatio-  
 nis diuinæ & æternæ mortis, ut uerbum & in-  
 stituta Dei, a quæ Paulus docet, tueantur atq;  
 defendant, & contra ordinationem Sathanæ,  
 quæ huic repugnat, conuellant, deuastent,  
 euertant, & <sup>b</sup>extinguant funditus, atq; huc  
 impendant, si res poscat tum bona tum uitam,  
 amicos etiam & sanguinem, aut si extingue-  
 re non possunt, saltem fugiant, & deuitent tan-  
 quam abominationem, & Sathanam ipsum.  
 Hoc utiq; clarum, & in confesso est. <sup>c</sup>Nam  
 pro tuendo uerbo Dei relinquenda sunt omnia,  
 ut fiat uoluntas eius in Cælo, & in terra, Et  
<sup>d</sup>Sathanæ errores extirpandi sunt pro uiribus  
 ante omnia.

<sup>a</sup> Instituta  
 Dei tuea-  
 mur.

<sup>b</sup> Extincta  
 nunc re-  
 suscitan-  
 tur.

<sup>c</sup> Pro uer-  
 bo Dei re-  
 linquan-  
 tur om-  
 nia.

<sup>d</sup> Errores  
 extirpen-  
 tur, non  
 planten-  
 tur.

Bulla & reformatio Lutheri.

Omnes quicumq; eò rem, honorem, san-  
 guinem uitam impendunt, ut hi Episcopatus  
 pompatici & aulici, sint remoti & alieni ab  
 omni functione Apostolica, præsertim ministe-  
 rio uerbi, totumq; hoc Sathanicum regnum  
 euertatur & extinguatur, Aut si re ipsa ex-  
 tingueri non eis licet, contra clamant, dam-  
 nant, & tanquam abominationem uitant. Hi  
 sunt

sunt filij Dei & ueri Christiani, pugnantes, & decertantem fidem Euangelij adiuuantes, contra portas inferi, & contra qui regno Episcoporum, tam impio, tam tyrannico & Satanico phalarismo fauent, & ei libenter obediunt ac subditi sunt, hi s̄ Satanæ ministri sunt, contra uerbum, leges & sanctiones Dei hostiliter pugnantes. Non est s̄ respiciendum concionatori, quales hi sunt, quam magni, quam potentes, contra quos prædicatur, aut quid ex suis concionibus consequi possit, sed hoc solum, & unice curandum, ut prædicet purum uerbum Dei. Hoc enim non est diluendum aut ad humanos affectus attemperandū, quicumq; tandē euentus euenire possunt aut secundum hominem timeri. Hoc inquam purè prædicandum est, si non modo Episcopi, h̄ sed omnes Angeli de Cælo resisterent.

Sed o utinam hæ abominabiles & Satanicæ laruæ sibi solis errarent, se seducerent, sibi malæ essent. Nam tum utcumq; ferendi essent, aut etiamsi omnino sic insanire liberet, ueluti de nobis bene meriti, honorandi interim, & secundum mundum, tanquam ethnici principes tolerandi. At nunc quando i tam incredibili furore tot conscientias seducunt, tot animas ma-

B

non

e  
Benedic-  
tio eorū,  
qui Eccle-  
siam pon-  
tificijs E-  
piscopis  
subijciūt.

f  
Multi  
iam sata-  
næ mini-  
stri.

g  
Id hoc tē-  
pore max-  
ime est  
respicien-  
dum, si  
sua salua  
esse cupi-  
unt conci-  
onatores.

h  
Galat. 1.

i  
Et quid  
hodie ali-  
ud faci-  
unt Episcopi?

a  
Scelera /  
tum silen-  
tium.

b  
O quoties  
uir Dei  
audiit hoc  
genus con-  
clones.

c  
De his  
prolixè  
iam ha-  
bentur  
declama-  
tiones.

d  
Maledi-  
ctum si-  
lentium.

e  
Non uigi-  
lantes pro  
ouib⁹, lu-  
pi sunt,  
quid ergo  
sunt qui  
pro lupis  
uigilant?

f  
In defen-  
sione E-  
uangelij  
nulli ce-  
damus.

non solum obscurant, sed delent, eradunt, et ex-  
tinguunt, nemo certè sanæ mentis hic desidera-  
bit modestiam, a hic requireret silentiū, ubi nemo  
etiam sine nefario scelere, sine ingratitude et  
blasphemia manifesta in Deū, silere poterit.

Apagesis sis mihi cum tua moderatione tu-  
a; conuientia, quicumq; homines metuens, pa-  
rum esse putas tam manifestis blasphemijs Deum  
incessere. b Nemo mihi hic de modestia, de pau-  
lò sedatioribus scriptis, & id genus humana  
somnia decantet, nemo de reuerentia mihi ob-  
ganniat, c nemo de patientia, de tolerantia  
Christiana hic cantilenam mihi pangat. d Ma-  
ledictum silentium hoc, quod hic conuiuet, ma-  
ledicta reuerentia, quæ hic cedit, & tam cru-  
entis Tyrannis, tam crudelibus lupis libere in-  
animas & conscientias grassandi, ceu quoddam  
ingens ostium aperit.

In confutatione latomi.

e Nihil differt à lupo qui pro ouibus non  
uigilat contra lupum.

In Epistola contra Emserum.

Euangelio in primis astandum est, f nulli  
cedendum, nulli conuiendum, nulli fauendum,  
qui contra Euangelium Christi quicquam mo-  
litur, nec patri nec matri, sicut dicit Christus,  
qui plus amat patrem suum quam me, non est  
me dignus.

In actis

In actis Augustinis.

g Nouam audiui linguam latinam, scilicet quod ueritatem dicere idem sit quod Ecclesiam perturbare, adulari uero & Christum negare, est Ecclesiam Christi pacificare & exaltare.

De abroganda Missa priuata.

Quod sine uerbo Dei ordinatur, h non ab Ecclesia, sed à Synagoga Sathanae sub Ecclesiae nomine ordinatur.

Turba infinita Sacerdotum & Monachorum cum suis missis, sacrificijs, legibus, doctrinis, cultibus & uniuersis operibus nihil est nisi scena & theatrum quoddam i Satanae. Cognito errore iam non licet denuo errare & missam pro sacrificio habere. Hoc enim iam esset in totam fidem, et contra conscientiam peccare, neq; hic fides aut confessio excusaret. Nō enim potes dicere, uolo piē errare, pi9 error est ignorantiae non scientiae, quales Apostolus tolerare iubet in infirmitate eorū. Hoc autem agendū est, ut error reueletur, & non pro ueritate statuatur, ne multiplicentur peccata impiorum, & ne infirmis scandala in uia relinquantur.

Alterum ibidem genus de ijs rebus est quæ sunt extra scripturam nempe.

De papatu, Missa, traditionibus hominum,

B z

Sacramen-

g Hoc nouum latinum nimis multi nunc discunt.

h Ordinatio est Sathanae, quæ sine uerbo Dei est.

i Missam habentes pro sacrificio post agnitam ueritatem malitiose errant.

Scandala nunc non tantum relinquuntur sed etiam obijciuntur in uia.

a  
Traditio-  
nes homi-  
num zi-  
zania Sa-  
tanæ.

b  
Longe ali-  
ter senti-  
unt Adia-  
phoristæ.

c  
Aduersa-  
rii tan-  
quam ne-  
cessaria  
ca impo-  
nunt &  
urgent.

Non fe-  
renda ser-  
uitus in  
ceremo-  
nijs.

Christia-  
na forti-  
tudo.

Sacramentis nouis. Et si qua sunt similia, a sci-  
licet zizania per Satanam, principatu idoli  
sui Romani, super agrum Domini seminata,  
quibus b Ecclesia non modo potest saluberrime  
carere, uerumetiam, ne consistit quidem, nisi ca-  
reat, aut pro libero arbitrio utatur. Nihil enim  
pestilentius in Ecclesia doceri potest, c quam si  
ea quæ necessaria non sunt, necessaria fiant,  
Hac enim tyrannide conscientie illaqueantur,  
& libertas fidei extinguatur, mendacium pro  
ueritate, Idolum pro Deo, abominatio pro san-  
ctitate colitur.

#### De instituendis ministris Ecclesiæ.

Nos puram & germanam diuinis literis  
prescriptam rationem querimus, parum solici-  
ti quid usus, quid patres in hac re uel dederint  
uel fecerint, cum iam diu satis docuerimus nos  
debere, oportere, & uelle traditionibus huma-  
nis quantumlibet sanctis ac celebribus, non mo-  
do non seruire, sed plane pro nostro arbitrio  
& libertate Christiana dominari, sicut scrip-  
tum est, omnia uestra sunt, siue Petrus siue Pau-  
lus, uos autem Christi.

Vbi enim constiterit hanc causam esse san-  
ctam placentemq; Deo, sicuti reuera est, con-  
sistere oportet supra petram, & tumentes illos  
fluctus mimantesq; uentos, & inundantes plu-  
uias

uias contemnere. Nihil minus spectare, quam Durus est  
hic sermo.  
ut pax & quies aut gratia & honor sit ijs, qui  
sapiunt & faciunt ea quæ Dei sunt.

Quin ideo Christus hunc ignem in terras  
mittit, & behemoth illum terribilem ipse non  
crudelis suscitatur, ut erudiat nos, non esse nostræ  
infirmitatis opus, quod instituimus, sed uirtutis  
diuinæ. Ne gloriemur aut præsumamus aduer-  
sus gratiam Dei, sed nos de nobis desperantes,  
sileamus, & ipsum (ut scriptura toties incul-  
cat) sinamus pugnare pro nobis, & in nostra  
infirmitate omnium uim & potentiam uince-  
re, & in nostro silentio totius maris motum &  
fluctus eius compescere, sicut scriptum est. In  
silentio & spe erit fortitudo uestra. Et iterum:  
certamen forte dedi ei, ut uinceret.

Atq; hoc ipsum in primis mouere debet,  
ut pergatis facere, si uideritis potestates &  
principatus uobis resistere, uelut argumento  
certissimo confirmati, ex Deo esse, quod insti-  
tuistis, & ipsum Deum uobis affuturum esse,  
cuius uerbum habetis. Nam si de mundo esset  
hoc consilium, mundus, quod suum erat, non mo-  
do permetteret, sed diligeret quoq;. Nunc ue-  
ro, cum de mundo non sit, sed Deus id dedit in  
corde nostro per uerbum suum. Idcirco mun-  
dus non solum non permittet, sed persequetur

Magna  
nimitas  
piorum.

Meticu-  
losis cœ-  
lum ruit.

extremè & execrabitur. Sed confidite, ipse uin-  
cit mundum, Et maior est qui in nobis est, quam  
qui in mundo est, etiamsi tumultibus & sediti-  
onibus res ita confundi uideatur, ut incredu-  
lis etiam cœlum ruere metuatur. Neq; enim  
petra nostra pallet ad tonitrua & fulgura,  
nec metuit triste cœlum ac nubila, nec pa-  
uet luctantes uentos tempestatesq; sonoras, sui  
est conscia & certissimum tandem serenum ex-  
pectat.

State ergo ac pergite optimi uiri, uerbo  
Dei, gladio spiritus inuicto et omnipotenti mu-  
niti. Aut enim forti fide ista tentanda uia est,  
uel in totum prorsus desistendum, non luctamur  
cum carne & sanguine, sed cum spiritualibus  
nequitijs in coelestibus.

In Scripto quod Ecclesia habeat ius  
& potestatem iudicandi de qua-  
uis doctrina & uocandi mi-  
nistros Euangelij.

Quid er-  
go nunc  
humanis  
legibus  
diuexa-  
mur?

In hac causa nempe de doctrina iudicanda,  
Item de Doctoribus & Pastoribus eligendis &  
ordinandis, aut reprehensibiles, aut minus ido-  
neos amouendis, nulla unquam ratio haberi de-  
bet legum humanarum, ueterũ rituum, aut con-  
suetudinum, siue à papa, siue imperatore, siue  
principibus, siue Episcopis sancitæ aut consti-  
tutæ



tutæ sunt, siue totus mundus, siue potior pars ho-  
minum eas approbauerit et seruauerit, siue mil-  
le siue plures annos durauerint. In hac causa  
simpliciter pronunciandum est secundum ex-  
pressum uerbum Dei.

Ex formula Missæ pro Ecclesia  
Vuittenbergensi.

In primis itaq; profitemur, Nō esse nec fu-  
isse unquam in animo nostro, omnem cultū Dei  
prorsus abolere, sed eum, qui in usu est, a pesti-  
mis additamentis uiciatum repurgare, & usum  
pium monstrare. In ritibus cauendum, ne legem  
ex libertate faciamus, aut peccare cogamus eos,  
qui uel aliter fecerint, uel quædam omiserint,  
modo benedictionis uerba sinant integra et fide  
hic agant. Christianorū enim hi esse debent ri-  
tus, id est, filiorum liberae, qui sponte & ex ani-  
mo ista seruent, mutaturi quoties & quomodo  
uoluerint. Quare non est, ut necessariam ali-  
quam formam uelut legem in hac re quispiam  
uel petat uel statuatur, qua conscientias illaqueet  
& uexet. Vnde & in priscis patribus & pri-  
mitiua Ecclesia nullum exemplum legimus ritus  
huius plenum, nisi in Romana Ecclesia. Sed nec  
seruandum esset, si quidquam pro lege in hac re  
sanxissent, quod legibus hæc obstringi nec pos-  
sint nec debeant.

a  
Pessima  
addita-  
menta re-  
purgata  
nunc sa-  
cris de-  
nuo com-  
miscen-  
tur.

Non fera-  
tur serui-  
tus in re-  
bus libe-  
ris

B 4

Deinde

Deinde, si etiam diuersi diuerso ritu utan-  
tur, nullus alterum uel iudicet, uel contemnat,  
sed unusquisq; in sensu suo abundet, & idem sa-  
piamus ac sentiamus, etiamsi diuersa faciamus,  
& uniuscuiusq; ritus alteri placeat, ne ad diuer-  
sitate rituum diuersæ sequantur opiniones &  
sectæ. Quemadmodum sub Romana Ecclesia  
contigit. Externi enim ritus, etsi ijs carere non  
possumus, sicut nec cibo & potu, non tamen nos  
Deo commendant, sicut nec esca nos Deo com-  
mendat. Fides autem & charitas nos Deo com-  
mendant, quare hic regnet illud Pauli. Non est  
regnum Dei esca & potus, sed iustitia, pax &  
gaudium in Spiritu Sancto, ita nec ritus ullus est  
regnum Dei, sed fides intra uos, &c.

In responsione ad maledicum scrip-  
tum regis Angliæ.

Ut uerbo diuino nemo nec potest, nec de-  
bet silentium imponere, ita necesse est, ut sonet  
continuo, increpet, obiurget, euertat, & destru-  
at, erigat, consoletur. Quod ad huius professi-  
onem attinet, hic ego nec mansuetudinem, nec  
patientiam ullam à Deo optauerim, adeo hic nõ  
cedam ulli, ut etiam inuitis Regibus, principi-  
bus, & inuito Satana, totoq; mundo, hanc sta-  
tionem, quoad hunc spiritum duxero, Deo ad-  
iutore, non sim deserturus. Si quis uel Regum  
uel

a  
Heroica  
magnani-  
mitas &  
constan-  
tia non  
subicitur  
seruituti.

uel Principum arbitratur Lutherum sese ita  
submissurum ipsis, ut quasi parum recte pieq;  
docuerit, petiturus sit ueniam supplex. Nemo  
enim mortalium (quod ad doctrinam nostram  
attinet) unquam a me tanti fiet, ut eum non sim floccu-  
cipensurus, tantum abest, ut quisquam me Pali-  
nodiam cantaturum sperare debeat.

In altera parte aduersus phanati-  
cos prophetas.

Quare ausculta mi frater, scis quod in tu-  
enda Christiana libertate, non minus quam in  
singulis articulis fidei, debeamus etiam uitam  
impendere, & omnia facere, quae cum huius in-  
iuria et uiolatione prohibentur, et omnia omit-  
tere, quae huic contraria mandantur. Quemad-  
modum Apostolus ad Galatas docet. Quando-  
quidem igitur ea ipsa libertas Christiana uim  
patitur, & periclitatur in sacramenti appella-  
tione, teneris posthac aduersus Sathanae prophe-  
tas cenam Christi sacramenti uocabulo adpel-  
lare, & ubi ades illis, uel ad illos uenis, oportet  
te sacramenti uoce uti, non quod ita necesse sit  
propter conscientiam tuam, sed quod necesse sit,  
libertatem Christianam confiteri & tueri. Nec  
sit concedendum, ut Satan ibi praecipuum uel  
prohibitionem aliquam uel peccatum constitu-  
at, & conscientiam grauet, ubi tale aliquid fie-  
ri non fert Dei uoluntas.

Libertas  
impatiens  
seruitutis.

Quid no-  
bis hac  
nostra  
aetate fa-  
ciendum  
cum peri-  
clitatur  
libertas.

Si autem fines huius generis peccatum ali-

quod statui, non iam amplius ullus tibi est Chri-

stus, qui id tollat. Quia tali conscientia ne-

gatur uerus Christus, qui omnia peccata tollit.

**a** Non paruum periculum in rebus paruis.

**a** Quare uides quam a non paruum periculum in re parua consistat, quando conscientiae grauantur. **b** Ita si tibi interdicator esus carniuum feria sexta, omnino esset tibi edenda. Si alijs ferijs carniuum esus tibi mandetur, omnino abstinentendum esset ab esu carniuum. Si tibi interdicator coniugio, contrahendum tibi esset, aut certe contrahendi uoluntas declaranda, simile iudicium est de alijs. Vbicunq; id agitur, ut statuatur praecipua, prohibitiones, & peccata cum periculo conscientiarum, ubi Deus integram & illesam uult esse libertatem, nec ipse nos mandato aut prohibitionem astringit, ibi mordicus est retinenda libertas. Et contrarium faciendum, quoad libertatem asseras. Ita Paulus noluit Titum circumcidi Galat. 2. Aduersarijs cogentibus, cum quidem Timotheum circumcideret, cum nemo urgeret.

**b** Homini mandatis & prohibitionibus in seruitutem redigentibus contraria facienda.

**c** Libertas a seruitute uindicanda.

**c** mordicus est retinenda libertas. Et contrarium faciendum, quoad libertatem asseras. Ita Paulus noluit Titum circumcidi Galat. 2. Aduersarijs cogentibus, cum quidem Timotheum circumcideret, cum nemo urgeret.

**d** Qua ratione agendum cum pertinacibus aduersarijs Euangelij.

**De libertate Christiana.**

**d** Quare Christiano per medium eundem est, & duo illa genera hominum sibi proponenda. Aut enim occurrunt ei pertinaces, obdurati ceremonijste, qui sicut aspidem surdum nolunt audire.

audire ueritatem libertatis, sed suas ceremonias tanquam iustificationes iactant, imperant, & urgent sine fide, quales erant olim Iudæi, nolentes intelligere, ut bene agerent. His oportet resistere, contraria facere, & ea fortiter scandalizare, ne opinione ista impia plurimos secum fallant. In horum oculis expedit comedere carnes, soluere ieiunia, & alia pro libertate fidei facere, quæ pro summis peccatis habent, dicendumque de eis, finite eos, cæci sunt & cæcorum duces. Hoc enim modo, & Paulus Titum noluit circumcidi cum illi urgerent. Et Christus defendit Apostolos, quod Sabbato uellebant spicas & multa similia.

In summa sicut paupertas in diuitijs,  
fidelitas in negocijs, humilitas in honoribus,  
abstinentia in conuiujs, castitas in delicijs, ita  
iustitia fidei in ceremonijs periclitatur. e Vnde  
de ceremonie in uita Christiana alio loco habende non sunt, quam apud fabros & artifices habentur preparamenta illa ad edificandum & operandum disposita, f quæ non in hoc parantur, ut aliquid sint aut maneant, sed quod sine ijs edificari aut fieri nihil possit.

Perfecta enim structura deponuntur. Hic uides non ipsa contemni, imo maxime quæri, opinio

e  
Iusticia  
fidei in  
ceremo-  
nijs peri-  
clitatur.  
f  
Nostri  
sanctuli  
in cere-  
monijs  
magnam  
pietatis et  
salutis  
partem  
collocant.

opinio autem contemnitur. Quia nemo existimat hæc esse ueram & permanentem structuram, ita non ceremonias nec opera contemnimus, imo maxime quærimus, opinionem autem operum contemnimus, ne quis existimet illam esse ueram iustitiam, sicut faciunt Hypocritæ, qui totam uitam in his studijs figunt & perdunt, & ad id, cuius gratia fiunt, non perueniunt.

### De uotis monasticis.

Libertas  
nec mini-  
mo statu-  
to est uio-  
landa.

Ex uerbis Pauli habes, nihil licere ulli docere, quod sit aduersus Euangelicam libertatem. Ea enim libertas diuini iuris est, quam Deus sanxit, quã nec reuocabit, neq; aduersus eam quicquam acceptare potest, neq; homini licet eam uiolare ullo uel minimo statuto.

Libertas  
in exter-  
nis rebus.

Est ea autem libertas, non solum illa prædicta in spiritu et conscientia regnans, qua nullis operibus aut accusamur, aut defendimur, sed etiam ea, qua sublata sunt uniuersa mandata hominum, & quicquid in externis ceremonijs seruari potest, ut sunt omnes cibi, omnes uestes, omnes personæ, omnia loca, omnia uasa, omnes dies, ut ea liceat obseruare quamdiu, ubi, quomodo, quando, quoties placuerit, aut res ipsa obtulerit. Et omnino quicquid non est mandati diuini, abrogatum & libertate donatum est.

Ex

Ex commentario Lutheri in Episto-  
lam ad Galathas Cap. 2.

Nos offerimus Papistis, quæ offerenda sunt,  
et plura quam debemus, solum excipimus liber-  
tatem conscientiae quam habemus in Christo Ie-  
su. Nolumus enim cogi, aut conscientiam alliga-  
ri ad ullum opus, ut hoc, uel aliud facientes, iu-  
sti, omittentes uero, damnati simus. Libenter unã  
cum eis utemur iisdem cibis, seruabimus item fe-  
rias et ieiunia ipsorum, modo nos ista libera uo-  
luntate seruare permittant. Et istas minaces uo-  
ces, quibus hactenus conterruerunt et subiece-  
runt sibi totum orbem, omittant. Mandamus,  
aggrauamus, reaggrauamus, excommunicamus,  
et c.

Libera li-  
bero ser-  
uentur.

Sed ut hanc nobis libertatem permittant,  
non possumus obtinere, sicut nec Paulus potuit.  
Ideo idem facimus, quod ipse. Nam cum illam li-  
bertatem obtinere non posset, nec Pseudoapo-  
stolis uel ad horam saltem cedere uoluit.

Nō relin-  
quentib9  
uobis no-  
stram li-  
bertatem  
ne ad ho-  
ram qui-  
dem ce-  
damus.  
Paulus  
nullum In-  
terim con-  
cessit ob-  
stinatis  
Phariseis.

Quare cum aduersarij hoc saluum relin-  
quere nobis nolint, quod sola fides in Christum  
iustificet, nec nos uolumus nec etiam possumus in  
hoc cedere ipsis, quod fides formata charitate  
iustificet. Hic uolumus et debemus esse rebelles  
et pertinaces, alioqui amitteremus nostram li-  
bertatem, quam non in Casare, regibus, princi-  
pibus,

pibus, non in Papa, mundo, et carne, sed in Christo Iesu habemus. Amitteremus fidem in Christum, quæ, ut supra dixi, nihil aliud apprehendit quam Christum gemmam. Hanc fidem qua renati, iustificati & Christo inserti sumus, si nobis saluam reliquerint aduersarij, offerimus nos omnia facturos, modo cum ea fide non pugnent.

Nec hodie  
quidem.

Pia perti-  
nacia im-  
pns nihil  
cedere.

Quia uero hoc impetrare ab eis non possumus, ideo uicissim nec tantillum quidem eis cedere uolumus.

Pia igitur & sancta est hac in re nostra pertinacia, hoc enim quærimus per eam, ut conseruemus libertatem nostram, quam in Christo Iesu habemus, utq; ueritatem Euangelij retineamus, qua amissa, amisimus Deum, Christum, omnes promissiones, fidem, iusticiam & uitam eternam.

Hoc tum  
faciet pa-  
pa cum  
desinet  
esse Anti-  
christus.

Ita Papam quoq; uenerabor, et colam personam ipsius, modo conscientiam mihi liberam relinquat, nec cogat me ipsum Deum ledere, uerum ipse sic uult coli & timeri, ut ledatur diuina maiestas, ut conscientia uulneretur, utq; ego redigar in seruitutem peccati. Hic si alterum est amittendum, amittatur persona, & retineatur Deus, Dominium Papæ libenter ferremus, sed quia abutitur auctoritate & Dominio suo, & nos cogere uult, ut se solum, abnegato & blasphemato



blasphemato Deo, Dominum agnoscamus & conscientias nostras ligare & urgere uult contra timorem & fiduciam Dei. Ideo cogimur inuiti resistere Papæ, quia scriptum est. Oportet nos Deo magis obedire, quam hominibus. Ideo bona conscientia, quod nos maxime solatur, Papæ resistimus. Aliàs certe conscientiam hoc premeret, quod Papæ, presertim autem quod tanto imperio, & maiestati Cæsaris, quam Deus summe coli mandauit, rebelles essemus.

Nos hoc querimus, ut sic gloria Dei & iustitia fidei illaesa conseruetur, ut simus nos salui, & ipse. Hoc impetrato, scilicet, quod solus Deus ex mera gratia per Christum iustificet, non solum uolumus Papam in manibus portare, Imo etiam ei osculari pedes, sed quia hoc obtinere non possumus, Ideo superbimus in Deo ultra modum omnem.

Neq; omnibus Angelis coelestibus, neq; Petro aut Paulo, neq; centum Cæsaribus, neq; mille Papis, neq; toti mundo, latum digitum cessuri. Absit ibi longe omnis humilitas, quia uolunt nobis rapere gloriam nostram, ipsum Deum, qui nos creauit, & omnia dedit, ipsum Christum, qui nos suo sanguine redemit. Si nemus quidem nobis rapi bona, nomen, uitam, & omnia

Sanctissimi  
ma animorum  
magnitudo & fiducia.

Maledi-  
cta humi-  
litas. Adi-  
aphoristi-  
ca.  
Duricies  
non stoi-  
ca sed  
Christia-  
na.

*Papiste quid*

Verissi-  
ma pro-  
phetia.  
De Adi-  
aph.

Nec faci-  
et unquam.

Et omnia quæ habemus: Euangeliū, fidem, Chri-  
stum non patiemur nobis auferri hæc rei sum-  
ma esto. Et maledicta sit humilitas, quæ hic se  
demisse gerit. Hic quilibet et sit superbus et  
pertinax, nisi uelit Christum negare. Quare,  
Deo dante, mea frons durior erit fronte omni-  
um. Hic durus et esse et haberi uolo, hic gero  
titulum, cedo nulli, et ex animo gaudeo hic re-  
bellis et pertinax dici, hic palam fateor me  
esse et futurum durum, et ne pilo quidem  
cedam.

Quid quaeso Papistæ aliud sunt, cum opti-  
mi sunt, quam uastatores regni Christi, et ex-  
tractores regni Diaboli, peccati, iræ Dei, et  
mortis æternæ? Destruunt autem Ecclesiam, quæ  
est ædificatio Dei, non lege Mosi, ut Pseudoapo-  
stoli, sed humanis traditionibus et doctrinis de-  
moniorum, sic phanatici, qui hodie sunt, et nos  
sequentur, destruunt, et destruent, ea, quæ nos  
ædificauimus, et denuo ædificant, et ædifica-  
bunt, quæ nos destruimus.

Interim tamen sæpe obtuli et adhuc offe-  
ro, me libenter uelle leges Papæ ferre, modo re-  
linquat ipsas esse liberas, et ad eas non adstrin-  
gat conscientias, ut ipsis seruatis, credant sese  
iustificari, non seruatis, damnari. Sed hoc non  
fecit. Nam si ad leges suas non astringeret con-  
scientias,

scientias, quæ esset ipsius potestas? Itaq; hoc maxime agit, ut obstructas & captiuas suis legibus retineat conscientias. Hinc illæ uoces, non potes saluari, nisi obedias Romanæ sedi. Hinc illa fulmina & tonitrua in bullis. Qui ausu temerario contraire præsumpserit, ille nouerit se incursum indignationem omnipotentis Dei &c. Ibi simpliciter priuat omnes salute, qui non obediunt suis legibus, contra promittit seruantibus eas æternam uitam. Ita urget nos in rete iustitiæ operum, quasi nemo possit iustificari, nisi obseruatis legibus suis. In summa, ne uerbo quidem fidei mentionem facit, sed solum tantum docet, si uero concederet hoc, quod omnes leges ipsius nihil facerent ad iustitiam coram Deo, tum uicissim concederem illi multa, sed tunc per se rueret illius regnum. Nam si amitteret potestatem saluandi, & damuandi, nihil amplius esset papa, quam merum idolum.

Concesso uno iustificationis articulo papatus ruit, non instauratur.

### In libro de Concilijs.

Quinto, Concilium non habet potestatem Christianis imponendi nouas ceremonias sub peccato mortali aut periculo conscientie seruandas, quales sunt dies ieiunij, festa, cibi, potus, uestes, si uero fecerint, stat contra eos illud Augustini ad Ianuarium. Hoc genus liberarum habet oba

C

bet oba

bet obseruationes. Christus paucas ordinauit  
cæremonias. Nam cum mandandi potestatem  
non habeant, et nos omittendi potestatem habe-  
mus, quin etiam prohibitum est, per Paulum eas  
obseruare Collos. 2. Nemo uos iudicet.

Cæremo-  
niæ impia  
opinione  
impositæ  
damnan-  
tur.  
Iam uero  
Episco-  
porum  
tyrannis  
stabili-  
tur.

Sexto Concilium habet potestatem dam-  
nandi, id genus cæremonias, sunt enim impie, &  
inuehunt nouam Idolatriam seu cultum nouum,  
quem non præcepit, sed prohibuit Deus.

Decimo Concilium habet potestatem or-  
dinandi aliquas cæremonias his legibus 1. Ne  
Episcoporum tyrannidem stabiliant. 2. Ut sint  
populo necessariae & utiles, & seruiant Eutax-  
iæ & disciplinæ, ut, opus est habere certos di-  
es, & constitutas horas ad conciones, dispensa-  
tionem Sacramentorum, ad preces, cantus, &c.  
1. Chor. 14. Omnia fiant ordine, &c.

Huiusmodi rebus non tyrannis Episcopo-  
rum, sed tantum populi necessitas, utilitas, &  
ordinatio quæritur. In summa necesse est hæc  
habere, non possumus his carere, si debet con-  
sistere Ecclesia.

In Enarratione Psalmi. 82.

Si autem aliqui contendunt de eiusmodi  
articulis, de quibus utraq; pars pro confesso  
habet, non niti eos scripturis, sed ueteri con-  
suetudine, uel statutis hominum iuxta & præ-  
ter scrip-

ter scripturam natis, ut rasura, aqua benedicta,  
consecrationes herbarum, & id genus alia  
non necessaria, quæ nec miraculis nec sangui-  
ne Martyrum confirmata sunt, ibi nullo modo  
tales contentiones in suggestu ferendæ, sed  
utriq; parti præcipiendum est, ut pacem se-  
ctentur. Quod enim scriptura non habet,  
de eo concionatores coram populo digladiari  
non debent, sed potius scripturam sedulo tra-  
ctare. Nam charitas & pax longè lateq;  
excedunt omnes cæremonias. Quemadmo-  
dum & Paulus inquit, potiores partes chari-  
tati esse deferendas, & indignum est Christia-  
nis, quod cæremonijs charitas, & pax debent  
cedere. Quod si hoc contentionem non di-  
remerit, silentium imponatur illi, qui cære-  
monias urget tanquam necessarias ad salu-  
tem, & conscientias uult illaqueare.

Ex Epistolis D. Lutheri quibus-  
dam Theologis ad Augu-  
stana comitia  
scriptis.

Ad Philip. Melan.

Accepi Apologiam uestram, & miror  
quid uelis, ubi petis, quid & quantum sit ce-  
dendum pontifici, pro mea persona plus

C 2

satis

Vtri par-  
ti de cere-  
monijs  
conten-  
denti si-  
lentium  
imponen-  
dum sit

Satis in  
Apologia  
conces-  
sum est.  
Nihil am-  
plius est  
cedendū.

satis concessum est in ista Apologia, quam si re-  
cusant, nihil uideo, quod amplius cedere pos-  
sim, nisi uidero eorum uoces aut scripturas cla-  
riores, quam hactenus uidi. Ego dies & no-  
ctes in ista causa uersor cogitans, uoluens, dis-  
putans, & totam scripturam lustrans.

Et augetur mihi assidue ipsa plerophoria  
in ista doctrina nostra, & confirmor magis ac  
magis. Das ich mir ob Gott wil / nu-  
nichts mer werde nemen lassen / es ge-  
he drüber / wie es wolle.

Ad eundem in eadem Epistola.

Quod scribis de utraq; specie, recte fe-  
cisti, ita enim tecum sentio, non esse indiffe-  
rens, scilicet præceptum, ut utramq; speciem su-  
mamus, si sumere sacramentum uolumus. Non  
enim nostri est arbitrij in Ecclesia Dei, & in  
cultu Dei uel statuere, uel tolerare, quod uer-  
bo Dei non potest defendi, scilicet hac eadem  
uoce fecerim facile omnes Dei leges, & ordi-  
nationes indifferentes, uno enim admissio in-  
differenti in uerbo Dei, qua ratione obstabis,  
ne omnia sint indifferentia? Clament & uoci-  
ferentur sane, Ecclesiam totam à nobis damna-  
ri. Nos dicimus Ecclesiam inuitam fuisse cap-  
tā, & oppressam tyrannide unius speciei. Atq;  
ideo excusandam quemadmodum uniuersa sy-  
nagoga

magoga in Babilone excusata fuit, quod non  
seruarit legem Mosi in ritibus Ecclesiasticis, &  
Sacramentis suis in Hierusalem.

### Ad Iustum Ionam.

Sed ecce interim tonitrua & fulgura ad  
me feruntur à quibusdam nostrorum magnis &  
multis, uos causam prodidisse, & propter pa-  
cem plura concessuros esse. Ego contra, scio  
inquam, à nostris mihi scriptum esse conditiones  
propositas ab aduersarijs omnes repudiatas, &  
causam denuo ad Cæsarem reuolutam. Hic sto,  
sic credo, At cum illi tam constanter & pertina-  
citer urgent, clamantes etiam a Lutherum à uo-  
bis allegari, omnia talia uobis concedentem, &  
impendere causæ b plus periculi à nobis quam  
ab aduersarijs, negocium maius sit uos inter  
uos compscendi quam contra hostes agendi.  
Impulerunt me in hæc uerba, c **Ists denn  
also / so hat der Teuffel ein hübsch  
trennen vnter vns selber angericht.**  
Nam ego conditiones, quas uerbo gratissimo in-  
titulastis vnergreifliche vnbeschlies-  
liche Artickel / non feram, etiamsi Angelus  
de Coelo, urserit & iusserit. d Quid enim ali-  
ud agunt aduersarij, quam ut ipsi ne pilo qui-  
dem nobis cedant, nos uero non solum cedamus  
Canonem, Missam, alteram speciem, celibatum

a  
Fortiter  
Lutherū  
nunc alle-  
gant cæ-  
remonia-  
rum ma-  
gistrī.

b  
Plus peri-  
culi esse a  
pacifica-  
toribus  
quam ab  
hostibus.

c  
Iam olim  
tentata  
tandem  
nimis pul-  
chre suc-  
cesserunt  
Satanæ.

a  
Nostro  
testimo-  
nio aduer-  
sarij iusti-  
ficantur.

b  
Quot nūc  
sic reuo-  
cant, &  
sibi male-  
dicunt?

c  
Sed de  
doctrina  
nondum  
conuenit,  
cur igitur  
agitur de  
ceremo-  
nijs?

d  
Sed mor-  
dicus re-  
tinent, cur  
igitur non  
seriuntur  
anathe-  
mate?

Et iurisdictionem consuetam hactenus, sed eti-  
am confiteamur eos recte censisse, audisse, fecis-  
se omnia, et falso a nobis hactenus accusatos  
esse, hoc est a nostro testimonio illos iustificare,  
et nos ipsos damnare uoluerunt. b Quod non  
est simpliciter reuocare, sed bis ter nos ipsos  
maledicere, et istos benedicere.

Ex Epistola Theologorū Vuittenber-  
gensium ad concionatores Nuren-  
bergenses Anno 40. scripta.

Tertia pars deliberationis, est de rebz Adia-  
phoris, ut sint aliquæ in templis lectiones piæ,  
uestitus et similia. Item de Episcoporum auto-  
ritate, iurisdictione et ordinatione. De his re-  
bus c agi nihil potest, nisi prius uerè conueniat  
de doctrina, et rebus necessarijs. Si Episcopi  
d mordicus retinebunt errores, et impias cere-  
monias, necesse est Paulinæ regulæ obtempera-  
re. Si quis aliud Euangelium docuerit, anathe-  
ma sit. Nec illi nostras Ecclesias ornaturi, sed  
potius uastaturi essent, sed si qui essent Episco-  
pi, qui ut Rahab uererentur iudicium Dei, et  
respicere miseras Ecclesias ac patriam, amplecti  
Euangelium propter gloriam Christi, et suum  
officium recte facere uellent, cum his de Adia-  
phoris facile conueniret, ut nunc quoq; dissimi-  
litudines, in ritibus Adiaphoris passim boni con-

sulimus,



sublimus, modo ut absit impietas & retineatur  
doctrinae puritas. Meministis Attali pergameni  
historia, cum quisspiam Alcibiades quondam incon-  
sulto studio pietatis nouam & durio rem uictus  
rationem sibi prescriberet, ac quotidie tantum pa-  
ne & sale uesceretur, et pauculum aquae biberet.  
Attalus Martyr in carcere diuinitus iussus est  
Alcibiadi dicere, ut communibus cibis uescatur,  
et ratio addita est, ne scandalo sit fratribus, hoc  
est, ne alij erudiores admirantes hanc nouam &  
prodigiosam consuetudinem arbitrentur talia ope-  
ra cultus esse, et obliuiscantur doctrinam de ueris  
cultibus. Laudamus igitur et nos eos, qui etiam in  
Adiaphoris abolent ritus ineptos & ieiunia, quae  
aliquid erroris offundunt imperitis, sed tamen de  
tota forma politica Ecclesiastica inter pios tunc  
deliberandum erit, quae amplectentur Euange-  
lium. Nam et forma ordinationis corrigenda esset,  
& tollendi canones de digamia & emendandae  
erunt leges pontificiae de diuortijs. Ne possunt quidem  
durabiles esse leges quae non sunt diuinitus traditae.

Hortandi etiam erunt illi, ut caeremonias The-  
atricas, & indignas Christiana grauitate, tollant  
etiam ex templis, quales sunt statuarum gesta-  
tiones, & aliae similes, sequamur non Aethnica  
sed Apostolica exempla, & amemus diuinitus  
traditas caeremonias, quarum summa est &

C 4

grauis

Ob hanc  
opinio-  
nem pa-  
pistici ri-  
tus abo-  
lendi po-  
tius erant  
quam re-  
stituendi.

Nunc sub-  
latae in Ec-  
clesias re-  
uehuntur.

a  
At in hac  
usq; ho-  
ram op-  
pugnare  
pergunt,  
quare nō  
oportet  
bat illis  
summam  
authori-  
tatem de-  
ferre.

b  
Modus  
confessio-  
nis in cæ-  
remonijs  
uere hoc  
tempore  
ualde ne-  
cessarius.

c  
An non  
confessio  
iam an-  
nexa est  
cæremo-  
nijs?

grauitas & utilitas sonent in templis pie &  
erudite conciones, habeat populus conciones ex  
quibus discat, fiant preces serie, celebre-  
tur synaxis, quoties pij Sacramentum petunt,  
sed antecedit priuata absolutio, quæ multis  
de causis retinenda est. Restituatur & excom-  
municatio, non ut ante in litibus rerum pro-  
phanarum, sed de flagitijs manifestis, adhibitis  
in hoc iudicium senioribus in qualibet Eccle-  
sia. Hæ sunt graues & necessarie ceremonie  
ad sancendam disciplinam, de quibus cum ad-  
uersarijs nondum agere possumus, quibus tan-  
tisper a dum oppugnant Euangelium nihil au-  
thoritatis in Ecclesia tribuere possumus.

Brentius in Ioanne. Cap. II.

Ex hoc loco discendus est b confessionis  
Christi modus, nostro tempore admodum ne-  
cessarius. Quanquam enim multa sint opera,  
quæ per se fuerint media, nec bona nec mala,  
proinde possunt quantum ex ipsis est, impune &  
citra Dei offensam fieri aut omitti. At si illis  
operibus fuerit adnexa Christi, & Euanglij  
c confessio, non ultra manent media, sed fiunt  
necessaria, & commodissima confessionis Chri-  
sti instrumenta. Periclitantur & nostro tem-  
pore in hac re frates quidam. Nam cum libe-  
rum sit aquam aspergere, radi, indui hac uel il-  
la ueste,

la ueste, & id genus media facere, interim ta-  
 men coguntur ab impio quopiam magistratu  
 intermissas, & uerbo Euangelij abolitas, papi-  
 starum cæremonias repetere, putant sibi hoc im-  
 punè, & citra Christi abnegationem licere,  
 præsertim cum d libera uerbi prædicatio à e  
 magistratu permittatur. Hi autem longè à ue-  
 ritate aberrant, ac plus, ut uidetur suo uentri,  
 quam Euangelij commodo consulunt, si coacti  
 repetant abolitas papistarum cæremonias, ut  
 maxime, liberè audeant Euangelium profiteri.  
 F Confessio enim Christi, non solum ab ore pen-  
 det, uerum etiam ab his operibus, quibus assi-  
 gunt papistæ nomen Christianum, proinde nisi  
 uelis Euangelij abnegator haberi, non potes  
 coactus ab impijs libere cæremonias papistarum  
 repetere, propterea quod coactione adnectant  
 suis illis cæremonijs Euangelij confessionem, &  
 iustificari se in illis existimant, si uiderint Euan-  
 gelij præconè eas repetere. G Sed ais, si non re-  
 petam, Ecclesia, quam hætenus uerbo Domini  
 alui, Euangelio priuabitur. Consultius itaq;  
 fuerit papistica sacra repetere, & interim  
 uerbum Euangelij purè adnunciare, quam h Ec-  
 clesiam uerbo priuare?

Respondeo, Ecclesia omnino non est uer-  
 bo priuanda, i at si non aliter potueris Eccle-

d  
 Ea pro-  
 mittitur  
 quidem  
 sed non  
 additur  
 quamdiu.

e  
 Speciosus  
 hoc tem-  
 pore præ-  
 textus.

f  
 Confessio  
 etiam in  
 cæremo-  
 nijs con-  
 sistit.

g  
 Obiectio  
 argumen-  
 ti hodie  
 peruul-  
 gati.

h  
 Ideo sua-  
 detur ser-  
 uitus du-  
 ra, ne de-  
 ferantur  
 Ecclesiæ.

i  
 Bonum  
 quidem  
 consilium  
 sed cui

pauci fidè  
 habent.

<sup>a</sup>  
Repetentes  
cære-  
monias  
reiectas  
suam do-  
ctrinam  
mendacem  
faciunt.

<sup>b</sup>  
Ecclesia  
non dese-  
ritur eti-  
amsi ali-  
qui pasto-  
res cogā-  
tur disce-  
dere.

<sup>c</sup>  
Vera &  
libera con-  
fessio non  
facere que  
præscri-  
bunt &  
mandant  
impij.

sie tuæ consulere, quam repetitione impuro-  
rum sacrorum, resignanda est Ecclesia in ma-  
nus Domini nostri Iesu Christi. Nam, ut Paulus  
ait, Non sunt facienda mala, ut eueniant bona.  
Malum est si sacra papistarum a repetas, hoc  
enim facto conuiues ad papistarum impietatem,  
& quantum in externa operis tui specie situm  
est, mendacem facis tuam ipsius de Euangelio  
prædicationem. Proinde, non licebit hoc malū  
facere, ut bonum eueniat, hoc est, ut b Ecclesia  
non priuetur Euangelij uerbo. Neq; enim pri-  
uatur Euangelio, etiamsi te ministro priuetur.  
Habet Dominus suos quos nunquā derelinquet,  
ipse enim est uerus pastor, oues suas uoce sua non  
destituens, et plus in cordibus piorū prædicabit  
constans tua fidei confessio, quam si semper præ-  
sens uerbum inculcaueris, interim tamen sacra  
papistica feceris. Qui c uero Christum confite-  
tur, eiusmodi operibus, quæ pharisæis displicent,  
quæ a pharisæis probantur, aut impio studio ex-  
iguntur, ea demū uera & libera est confessio.

Hoc enim est, propter Christum omnia sua  
relinquere, et periculo exponere. Sic autem li-  
bere confitendum esse, testatur Christus ipse di-  
cens, omnis qui confitebitur me coram homi-  
nibus, confitebor ego & illum, coram patre meo  
qui in coelis est. Porro, quisquis negauerit me  
coram

coram hominibus, negabo eum & ego corā patre. Non solum autem negatur Christus uerbo, dicendo, Non credo in Christū, sed negatur etiā facto, si quis Antichristi sacra tractet, celebret & perficiat. Quæ enim est conuentio Christi et Antichristi, quæ communio luci cum tenebris?

Ex Epistola Martini Lutheri ad Phili.  
Melan. cum esset in conuentu  
Vuormaciensi scripta.

anno 1540.

Si inciderit ratio, ut papistæ uobis aliqua concedenda offerant, ut uicissim concedenda offeratis, habetis meum exemplum, ut omni genere humilitatis et modestiæ respondeatis uide- licet, ea quæ nostra sunt, & in nostra potestate, nō modo Cæsari, sed cuiuscūq; petenti propter pacem concedere parati sumus. Quæ uero in potestate soli Dei, nec in ullius quidē Ecclesiæ sunt (cuius summa est post Deū potestas & iudicium etiā Angelorū) possibile est, ab illis inique postulari, ut concedamus, sed nobis, imò Angelis cœlestibus est re ipsa impossibile. Et si concederemus irritū esset, et Deo irascente cōcederentur. Econtra si illi offerāt cōcedēda, quæ nec ipsorū nec in potestate ipsorū, sed quæ in Dei soli potestate sunt, ut quæ iā antea diuinitus decreta accepim⁹ & recu-

Et recuperauimus à raptoribus, contumelia Dei  
esset, fateri ea nunc tandem accipere ab eis con-  
cessa, quæ nec habuere, ut nec habere, nisi sa-  
crilegio rapta, potuerunt. Quæ acceptatione  
confiteremur eos fuisse bonæ fidei possessores  
talium, et nos iniustos spoliatores, et nunc de-  
mum, nos indulgentia ipsorum fore iustos usur-  
patores. Quo facto multis modis, et nominibus,  
et Ecclesiæ imò uerbo Dei iniuriam faceremus,  
et nos turpissima ignominia, ut malefactores  
inde ab initio causæ fuisse declararemus. Hunc

Et omni-  
bus nobis  
Amen. *satanae morsum conterat in uobis semen illud be-  
nedictum mulieris.*

Stet igitur topica illa fixa, Nemo dat,  
quod non habet, Desinant illi largiri impossibi-  
lia, et non sua. Et nos caueamus concedere, et  
accipere, neq; nostra, neq; illorum de rebus, et  
donis Dei agnitis extra nos positis. Sed quid  
nisi quod delector repetere historiam meam  
Wormaciensem, cui similem uel somnio uel su-  
spicor fore uestram, Amen.

Alia eiusdem ad Philip.

Melan,

Gratias ago, quod tam diligenter, et fide-  
liter scribitis omnia, gaudeo quoq; inter uos  
tantam esse concordiam, id est, præsentem in  
uobis Spiritum Christi. Cætera omnia susq; deq;  
facio,

facio, cadant quorsum Deus uoluerit, satis est  
abunde bonorum nos in gratia & misericordia  
eius uiuere, & mori, agere, & pati. Hic tan-  
dem est finis, qui quaeritur in hac uita per om-  
nes ab initio usq; ad consumationem, Benedictus  
Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui  
perficiat opus suum, quod incepit in nobis.

Ego neq; de Caesare, neq; de Ferdinando,  
quicquam boni spero, quia sanguis innocens,  
quo sunt manus illorum maculatae, clamat.  
Simulant fortasse aliquid aliud, quam reipsa  
agunt, quodq; etiam palam machinarentur, nisi  
quod oratione Ecclesiae ipsorum conatus uel im-  
pediuntur uel mitigantur interdum, sed hoc ni-  
hil ad pacem perpetuo futuram, donec animus  
nocendi cupidus non mutatur, fiat uoluntas Dei  
Amen.

Brentius in commentario Episto-  
lae ad Galatas.

Deinde quod Pseudoapostoli uolunt con-  
cordare Iudaismum, & Christianismum per cir-  
cumcisionem, ut cesset persecutio, et fiat con-  
cordia, nullum prorsus habet locum in uera pie-  
tate. Et hi Pseudoapostoli idem agebant, quod  
hoc tempore a prudentibus huius seculi consuli  
solet. Existimant enim quod utile esset, ut tam  
Papistae quam Euangelici, aliquid de suis, ut lo-  
quuntur,

Hoc est  
A diapho-  
ristis.

Nota.

*Sincere verbum  
affectum animi*

quantur, opinionibus remitterent, ac institue-  
rent concordiam, quo cessaret persecutio, &  
mutuum odium, sed hoc consilium nihil ualet.  
Tali enim concordia aboleretur scandalum  
crucis, euacuaretur crux Christi inquit Paulus.  
Abolere autem scandalum crucis, est tollere  
afflictionem ab Ecclesia. Iam in ciuilibus qui-  
dem rebus, multa sunt remittenda, & condo-  
nanda ac toleranda, ut sit concordia, & cesset  
discordia, sed in causa religionis, nihil est de  
uerbo Dei concedendū, ut sit ciuilis & politica  
concordia. Neceffe enim est, ut fides sit recta  
& sincera, non est autem neceffe, ut ducamus in  
hoc seculo iucundam uitam. Adhuc uetus est  
consuetudo, quod sincerum uerbum Dei attulit  
crucem in hunc mundum. Patriarchæ quia præ-  
dicauerunt ueram religionem, neceffe habue-  
runt à finitimis suis multa aduersa tolerare.  
Prophetæ quia prædicauerunt ueram religio-  
nem aduersus impietatem hypocritarum, abie-  
cti & occisi sunt. Christus ipse crucifixus est,  
Apostoli eius trucidati sunt. Ecclesia semper  
maximas tulit persecutiones tam à gentibus  
quàm à Iudæis. Præterea, Christus promisit ta-  
li cruci & afflictioni, quæ immittitur propter  
uerbum Dei magnam remunerationem gau-  
dete, inquit, & exultate, quia merces uestra  
magna



magna est in Coelis : Huc accedit , quod Eccle-  
sia semper creuit persecutionibus. Israelitæ in  
Aegypto, tanto magis crescebant , quanto plus  
opprimebantur. Sic Ecclesia sub persecutione  
gentium & Iudæorum. Ecclesia enim est uelut  
hortus, sanguis Martyrum uelut aqua irrigans  
hortum. Quare nihil est remittendum de uer-  
bo Dei, ad conseruandam publicam, & politi- Nota.  
cam concordiam. Euangelion autem Christi  
ex Diametro pugnat cum impietate Iudæo-  
rum. Sicut & hoc tempore Euangelion ex  
Diametro pugnat cum impietate papistica.  
Quare nõ potest fieri concordia, nisi altera pars  
cedat. Hoc autem non uolunt facere impij. Et  
qui pij sunt non possunt cedere. Itaq; manet  
discordia, manent persecutiones, graues qui-  
dem imbecilibus, sed tamen Ecclesie utiles.  
Nam res Ecclesie, in peiori fere statu esse so-  
lent, cum fuerit publica tranquillitas. In pa-  
patu fuit publica tranquillitas, sed magna im-  
pietas. Satan enim custodit atrium suum in pa-  
ce, si non habet aduersarium. Non est igitur  
propter tranquillitatem cedendũ in uerbo Dei, Nota.  
ne euacuetur crux Christi, & tollatur scanda-  
lum crucis. Crux enim Christi semper debet es-  
se in Ecclesia, non loquor de lignea cruce, sed  
loquor de persecutione, quæ non est inutilis  
Ecclesie. Responsio.

## Responsio.

*Episcopis obe-  
diendum si sana  
doctrina propa-  
gare uelint*

Nec nobis placent dissipationes politia-  
rum, aut gubernationum, & ualde optamus, ut  
Episcopi, & collegæ gubernationis Ecclesiasti-  
cæ uere faciant suæ uocationis officia. Et in eo  
casu offerimus obedientiam nostram, uidelicet  
si desinent esse hostes ueræ doctrinæ, quam pro-  
fitemur, nec erunt Tyranni, & parricide pio-  
rum, & calamitosorum Sacerdotum nostrorum,  
& incipient puram doctrinam, quam docemus,  
in Ecclesijs suis propagare, & recipient legit-  
timum, & piuum usum Sacramentorum, & hanc  
emendationem tueri uolent. Hæc ipsa tanta  
distractio Ecclesiarum initio ab Episcoporum  
asperitate orta est, qui fulmina anathematum  
aduersus nos emiserunt, & Sacerdotes nostros  
homines innocentes, doctos, pios interfecerunt,  
cum Episcoporum dignitatem non uiolassent,  
imo pro eis labores ministerij sustinuissent, ac  
fuisent ministri pij & salutare, ut multi eo-  
rum uoce ad Deum conuersi, facti sunt hæredes  
uitæ æternæ. Si uerò Episcopi ut hætenus, ita  
deinceps hostilia facient contra doctrinã, quam  
profitemur, nulla poterit inter illos & nos Sa-  
cerdotes & Doctores fieri concordia. Quid  
uerò principes & politia, gubernatores ciuita-  
tum facturi sint, ipsorum deliberationi relin-  
quimus.

quimus. Nos quidem, qui iam ministerio Euan-  
gelico fungimur, non possumus cum ijs, qui ma-  
nere uolent Euangelij hostes, concordiam face-  
re. Exitum autem Deo, qui est iustus iudex, &  
promisit sese sua presentia ministerium Euan-  
gelij defensurum esse, commendabimus, utram  
partem, & quomodo protecturus sit. Sicut  
Apostolos necesse fuit Deo commendare Eccle-  
siae sui temporis defensionem. Nam, ut prius  
dictum est, scimus ministerium Euangelicum non  
ab humanis uoluntatibus aut praesidijs pendere.  
Sed seruari à Domino nostro Iesu Christo, ut  
apud Oseam dicitur, Saluabo eos in Domino,  
& non saluabo eos in arcu & gladio. Deniq;  
ad piam concordiam nulla uia est alia, nisi haec Nota.  
ut Episcopi ueram doctrinam, & legitimum  
usum Sacramentorum amplectantur, & nos ip-  
sis, tanquam Ecclesiae gubernatoribus obedia-  
mus. Ad quod nos offerimus. Plus largiri sine  
magno peccato, et sine contumelia Dei non pos-  
sumus. Ex hac significatione nostrae uoluntatis,  
deferentis in hoc casu obedientiam, manifestum  
est nos satis excusatos esse, cum nobis obijcitur,  
nos contumaciae & schismatibus causam praebere.

Ex Locis Communibus Philippi  
Melanthonis.

D

Facere

Facere Adiaphora sine superstitione concessum est, tamen legibus de Adiaphoris aduersandum est docendo, quia adsuuntur multi pernitiosi errores.

Clamat Christus. Frustra colunt me mandatis hominum. Et cum alias sæpè Prophetæ & Apostoli reijciunt ritus sine uerbo Dei institutos, tum uero, 1. Thimo. 4. uocantur doctrine demoniorum, cuius dicti atrocitas profecto pias mentes mouere debet, ut considerent qua prudentia Adiaphora recipi possint. Nec sint muti Doctores, cum aut Ecclesia ab impijs cultibus polluitur, aut conscientie laqueis traditionum humanarum implicantur.

### Ex capite de Scandalo.

Grauitè peccant, qui cum hostibus Euangelij colludunt, premunt certe docentes, impediunt arte Euangelij cursum, & significant se alium Ecclesie statum desiderare & expectare. Et in his controuersijs uideri uolunt iusti censores, neutri parti addicti, integri, incorrupti. Sed meminisse debebant uocem CHRISTI, Qui non colligit mecum, dispergit.

De controuersijs doctrine necesse est singulos pios iudicare, amplecti, & profiteri uera, iuxta

ra, iuxta illud, Si quis aliud Evangelium docet,  
anathema sit. Et confessio mandata est, Qui  
confitebitur me coram hominibus, confitebor et  
ego eum coram patre coelesti.

### Ex Locis Communibus Philippi ex capite de Scandalo.

Postquam doctrina de ueris et falsis culti-  
bus, et de libertate iam proposita est, conceden-  
dum est exempli causa, ut inutiles ritus abijci-  
antur, nec pertinacia eorum laudanda est, qui  
cum agnoscant ueram doctrinam esse, tamen  
acerbe flagitant omnes ritus. Hæc pertina-  
cia est multiplex scandalum, quia confirmat  
hostes ueræ doctrinæ, & adducit imbecilliores  
in dubitationem, quia metuunt non probari  
usum libertatis illis, qui doctrina uel autoritate  
antecellunt, & contristatur Spiritus Sanctus in  
imbecillioribus, cum dolent se accusari leui-  
tatis.

Si hoc fa-  
cit reten-  
tio ocio-  
forum ri-  
tuū quid  
faciet re-  
stitutio?

### Ex Philippi scripto de præsentibus mutationibus ad quendam amicum misso.

Optarim certè in hac mæsticia temporum  
nulla uel minimæ rei mutatione augeri dolo-  
rem Ecclesiarum, præsertim cum et scandali ali-  
quid in cedendo esse manifestū sit, pij fiunt lan-  
guidiores, et fortassis dubitare aliqui de doctri-

Est ergo  
equum  
hæc tanta  
mala ob  
incertissi-  
mam tem-  
porariæ  
pacis sp̄  
admitte-  
re?

na incipiunt. Aduersarij uero fiunt insolentiores, & iam suam pertinaciam ducunt egregiam uirtutem esse, & magis probant suas opinionones, & sperant nos cætera doctrinæ nostræ capita etiam abiecturos esse, & ut abijciamus instant. Ideo Paulus noluit circumcidere Titum, ne confirmaret errorem & pertinaciam aduersariorum. Et in Epistola ad Hebreos dicitur. Si quis dissimulat non placet animæ meæ, nos autem non sumus dissimulatores ad perditionem. Grauius & hoc argumento reprehenditur facilitas in cedendo, quòd cum inutilis sit, rectius esset sine ullis scandalis extrema expectare. Quia Imperator tamen postulat totum librum recipi, & pastores, etiamsi ceremonias aliquas rerum mediarum restituant, pelli tamen iubet cum aduersantur restitutioni priuati Misse, inuocationis mortuorum.

Index

INDEX LOCORVM,  
QVIBVS REVERENDVS VIR

D. Martinus Lutherus refutauit er-  
rores Antichristi de plærisq; arti-  
culis, qui iam per Interim  
Ecclesiæ Christi iterum  
obtruduntur.

Contra liberum arbitrium.

In glossa Cæsarei edicti. In libro de seruo  
arbitrio.

De cælibatu Sacerdotum.

In responsione ad librum Ambrosij Ca-  
tharini. In libro de uotis Monasticis. In ad-  
monitionem ad Ecclesiasticos Augustæ congre-  
gatos.

Traditio de cælibatu.

Est doctrina demoniorum, In libro contra  
falso nominatum ordinem Episcoporum.

De Coniugio Sacerdotum.

In libro de uotis. In articulis offerendis con-  
cilio.

Contra prohibitionem Con-  
iugij Sacerdotum.

In libro contra falso nominatum ordinem  
Episcoporum.

Contra Canonem Missæ.

D 3

In li.

In libro de abroganda priuata Missa, in libro de abominatione priuatae Missae. In formula Missae pro Ecclesia Vuittenbergensi uocata canonem lacerum & abominabilem ex multorum lacinijs seu sentinis collectum.

### De Confessione.

In sermone de confessione.

In articulis offerendis Concilio.

In admonitione ad Ecclesiasti: Augustae congregatos.

In scripto ad Francofurdenses.

Contra consecrationem salis, herbarum, candelarum, &c.

In articulis Concilio offerendis.

In libro de Concilijs & Ecclesia.

### De Concilijs.

In libro contra Brunswicensem Principem.

In libro, quod papatus sit à Satana.

De Chrismate & caractere Sacrificorum.

In libro de purgatorio, & de priuata Missa.

Episcopi Pontificij, quibus nunc defertur iurisdictio, suis uirtutibus ornati.

In libro contra falso nominatum ordinem Episcoporum.

De officio



**De officio Episcoporum Ibidem.**

*Et in admonitione ad Ecclesiasticos Augustine congregatos.*

**De iurisdictione Episcoporum & quatenus ea a protestantibus eis delata sit.**

*In glossa Cæsarei edicti.*

**De Matrimonio, quod non sit Sacramentum, sed figura Christi & Ecclesiae, in libro de captiuitate Babilonica.**

*Missam non esse sacrificium.*

*In libro contra regem Angliæ.*

*In libro de Abroganda missa priuata.*

*In exhortatione ad Sacramentum corporis & sanguinis Domini.*

**Probationes sumptæ ex uerbis cœnæ Domini, quod missa non sit sacrificium.**

*In libro de abrogatione Missæ priuata.*

**Contra abusum Missæ de captiuitate Babilonica.**

**Contra Missam Theatricam, in scripto contra Cæsareum mandatum.**

*In articulis offerendis Concilio.*

**Missam esse extremam abominationem.**

D 4

In ars

*In articulis offerendis Concilio.*  
*In libro contra Principem Brunsvicensem.*  
*In admonitione ad Ecclesiasticos Augustæ*  
*congregatos.*

**Ordinem non esse Sacramentum.**

*In libro de captiuitate Babilonica.*

**Papistica ordinatio est merum  
mendacium.**

*In libro de instituendis ministris Ecclesiæ.*

**Potestas ordinandi ministros  
quatenus Episcopis per-  
mitti possit.**

*In articulis offerendis Concilio.*

**Contra ordinem sacrificarum.**

*In libro de Missa priuata.*

**De ordinatione ad ministeri-  
um Ecclesiæ.**

*In libro de Concilijs.*

**De Iure & Potestate ordinandi mi-  
nistros Ecclesiæ.**

**In exemplo Christianum Episcopum ordi-  
nandi.**

**Ordinatio ministrorū delata est Epis-  
copis, si nobis Euangelium re-  
linquunt liberum.**

*In admonitionem ad Ecclesiasticos Augustæ*  
*congregatos.*

**Contra**

Contra primatam Romani  
pontificis.

In disputatione Lipsiæ habita.

In resolutione Lutheri.

In responsione ad librum Ambrosij Catha-  
rimi.

Ibidem locus Apostoli, 2. Thessa. 2. & 2.  
Petri. 2.

Contra papatum explicatus.

In libro de clauibus.

Argumenta 17. contra primatū Papæ.

In resolutione Lutheri.

Romanus pontifex non est iure diui-  
no alijs superior.

In adsertionibus articulorum damnatorum  
per bullam.

In Epistola ad Emserum.

In defensione contra malignum iudicium  
Eckij.

Papatum esse regnum Antichristi.

In captiuitate Babilonica.

In responsione ad librum Ambrosij Catha-  
rimi.

Papatus depictus.

In libro contra falso nominatum ordinem  
Episcoporum.

Contra papæ Tyrannidem.

D 5

In

*In libro delectorum Cardinalium.*

*De totius papatus abomi-  
nationibus.*

*Contra Principem Brunswicensem.*

*De imposturis pontificis.*

*In libro quod papatus sit à Satana.*

*De Papisticis erroribus & abusibus.*

*Item de abominationibus Ec-  
clesiæ Hipocriticæ.*

*In admonitione ad Ecclesiasticos Augustæ  
congregatos.*

*Sacramento integro uten-  
dum esse.*

*In sermone de sacramento Altaris.*

*De captiuitate Babilonica.*

*Ibidem uide argumenta pro integri Sacra-  
menti usu. Et in libro contra regem Angliæ.*

*De utraq; specie danda  
Laicis.*

*In formula Missæ pro Ecclesia Vittenber-  
gensi.*

*In glossa contra edictum Cæsarium ad Ec-  
clesiasti: Augustæ congregatos.*

*Quod Papistæ postulauerint probari  
usum unius partis Sacramenti,  
& cur id non sit conce-  
dendum.*

*In ex*

*In exhortatione ad Germanos.*

**Contra Sacerdotium Papisticum.**

*In libro de abrogatione Missæ priuatae.*

**Contra Sanctorum Inuocationem.**

*In articulis offerendis Concilio.*

**Contra Satisfactionem.**

*In articulis offerendis Concilio.*

*In libro contra Ambrosium Catharinum.*

**Contra Transsubstanciacionē, De captiuitate Babilonica.**

*In libro contra regem Angliæ.*

**De extrema unctione. De**

**loco Iacob.**

**Si quis infirmatur. In libro de captiuitate Babilonica.**

**Contra unctionem Sacrificorum.**

*In reuocatione de purgatorio.*

**Reliqua lector ipse obserua & collige.**












1/9 1215 01

7

X 2205924





B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

Qrk. 214.  
Qrk. 214. 23

Vg  
1215

SENTEN-  
IA REVERENDI VI.  
D. M. Luth. Sanctæ memoriæ  
de Adiaphoris ex scriptis illis  
us collecta per M. Ioachi-  
mum Vestphas-  
lum, Pasto-  
rem in Ecclesia Hambur.

3. Regum. 18.  
usque quo claudicatis in duas partes? Si  
Dominus est Deus, sequimini eum,  
Si autem Baal, sequimini  
illum.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SALLE)

1 5 4 9.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA